

195. Aliquid dicendum remanet de Parochis. Horum institutio antiquissima est, quamvis non ita nomen: nam appellativo nomine presbyteri vel sacerdotis exprimebantur. Ita in Syn. Diœc. Antisiodoren. an. 578. et ita in Conc. Liptinen. an. 743. Pariter antiquitus cura animarum non induebat naturam potestatis ordinariæ, sed potius dici poterat officium quod Episcopus modo uni modo alteri committebat. Hodierno autem jure parochiale munus revera ordinariam dicit jurisdictionem, eam nempe quæ dispositione ipsa juris acquiritur et censetur adnexa ipsi officio. Hæc vero jurisdictio spectato jure communi forum internum proprie et directe respicit. Etenim Parochus repræsentat Episcopum, qua patrem spiritualem fidelium, et paterno more delinquentes redarguit et corrigit. Hinc censuras aut pœnas publica in forma judiciali non fert, nec ab illis absolvit, quamvis hanc potestatem ex consuetudine vel ex privilegio posset adipisci. Officium Parochi præsertim est: 1^o. ut pro populo suo oret, et Missam celebret quam pro populo applicare debet singulis diebus festis de præcepto et festis quæ suppressa dicuntur *sess. 23. c. 1. de Ref.* et Const. Bened. XIV. '*Cum semper oblatas*' ad Ordinarios Italiæ die 19. Aug. 1744; — 2^o. ut sacramenta administret; — 3^o. ut saltem diebus dominicis et festis solemnibus Verbum Dei per se ipsum, vel si fuerit impeditum, per alium prædicet suis fidelibus *c. 2. sess. 5. de Ref.* In *sess. 24. c. 1.* præcipitur Parochis ut librum habeant in quo Matrimonia describant contracta, nempe nomina conjugum et testium et diem et locum contractus. In *c. 2.* vero ejusdem sess. imponitur Parochis onus servandi diligenter librum in quo baptismata collata designentur.

Hæc innuisse sufficiat. Nam de Parochis fusior tractatio exhibetur in Lib. III.

TITULUS XXXII.

De officio Judicis.

1. Cum de variis speciebus judicum egerit B. Raymundus imitatus ordinem juris civilis in præsentis titulo exponit principia juris, quæ officium commune omnium judicum determinat. Judex est persona legitima, juris et æqui perita, quæstiones definiendi jus habens. Si igitur judex est persona legitima, a publica potestate debet constitui; nec quilibet de populo judicis munere fungi potest, sed vir sapiens debet esse et prudens, nec potest esse conditionis

servilis vel natalium defectu notatus, aut infamis, vel excommunicatus. Error vero communis defectum sanare potest *c. Barborius ff. de Off. Prætor.* Pariter ratione status, judices esse nequeunt Regulares.

2. Titulus inscribitur de Officio judicis. Officium in titulo exprimit usum potestatis decernendi. In hoc usu potestatis judicialis distinguitur imperium a simplici jurisdictione. Imperium enim significat coercionem, id est potestatem coercitivam, qua judex rebelles vel contumaces ad sibi parendum compellit; jurisdictio vero simplex est facultas cognoscendi et decernendi circa bonum jus alterutrius colligantis. Etiam in foro ecclesiastico aliquod imperium adesse debet; secus auctoritas judicis facile sperneretur.

3. Officium vero judicis licet latissimum sit, tamen determinari potest duplici sub genere, et aliud dici potest *nobile*, aliud *mercenarium*. Officium nobile judicis locum habet, cum judex procedit quasi motu proprio jure aut æquitate suadente, seu ut dici solet ex officio, quin ulla proponatur actio judicialis stricte sumpta, quam sequi teneatur. Exempla hujus officii sunt, inquisitio rei post aliquod crimen *c. 17. de Accusat. l. 3. ff. de Off. Prætor.*, datio tutoris, vigilantia ut observetur norma juris communis. Immo etiam requisitus potest judex exercere hoc officium; cum nempe in defectu actionis, ejus auctoritas tanquam remedium extraordinarium imploratur per simplicem recursum ex. gr. cum quis exposcit designationem defensoris contra præpotentem adversarium; vel cum minor generice postulat restitutionem in integrum contra factum proprium ex quo læsionem passus est.

4. Mercenarium vero officium judex exercet, cum ad judicialem instantiam, seu actionem partis judicium aggreditur, prosequitur et absolvit. Porro actio est jus persequendi in judicio quod sibi debetur *Just. § 1. de action.* Hinc actio revera determinat qualitatem et limites judicii; et sententia debet esse actioni respondens, sive eam excipiens sive eandem respuens. Proposita ergo actione, judex in eadem insistere debet, nec ab ea divergere potest, et 'postquam semel sententiam dixit, judex esse desinit... semel enim sive male sive bene, officio functus est'. *L. judex ff. de re jud.* Quare proposita actione, judex ad modum mercenarii qui opus tenetur exequi juxta legem sibi a domino impositam, actioni ipsi inservire debet, et proinde officium ejus est determinatum, et mercenarium dicitur.

5. Quibus positis explicandum est *cap. 2. h. t.* ubi agitur de litis contestatione. Litis contestatione, uti traditur in suo tit. Lib. II., determinatur status quæstionis et lis definienda. Gregorius IX. docet, eam esse necessariam quando officium judicis loco actionis imploratur, et exemplum affert de implorato judicis officio in petitione restitutionis in integrum. Immo restitutio talis videtur pertinere ad officium nobile judicis, quod actione non ligatur, nec proinde admittit litis contestationem. Sensus vero capituli hic videtur esse, ut nempe requiratur litis contestatio, cum pro restitutione in integrum exposcitur officium judicis principaliter, et contra determinatam personam, et simul cum plenaria causæ cognitione. Quo in casu non amplius agitur de recursu simplici ad judicis officium, sed de petitione quæ induit naturam juridicæ actionis, et necessitatem secumfert instituendi ordinarium judicium. Quare petitio coarctat judicis potestatem, ejusque officium de nobili mutat in mercenarium. Requiritur vero tres conditiones: 1^o. ut principaliter imploretur officium judicis. Nam si incidentaliter tantum sive ante, sive post ingressum causæ, non requiritur litis contestatio: ex. gr. si postuletur a judice advocatus, vel si postuletur admissio probationis omissæ ex errore facti. 2^o. Ut petitio restitutionis fiat contra determinatam personam. Hinc si minor in genere petat restitui in integrum, ex. gr. ut ei liceat repudiare hæreditatem aditam, petitio officii judicis non imitatur actionem, nec proinde necessaria litis contestatio. Auth. Cod. *si minor se abstin.* 3^o. Ut judex procedat judicialiter. Nam si causa sit notoria, judex summario modo procedit, nec litis contestatio requiritur: ex. gr. si quæstio fiat de alimentis a patre filio præstandis. *L. 9. ff. de Off. Procons.*

6. Officium judicis quasdam secumfert obligationes. 1^a. obligatio est ut in judicando sectari debeat veritatem et justitiam, nec respectum habeat personarum quæ in judicio adstant. *Reg. 12. Jur. in 6.* Hinc etiam ex can. *Quatuor c. 11. q. 3.* vitare tenetur ea quæ hominum judicium pervertere solent, idest timorem, odium, amorem et munerum desiderium. Quare judicis animus in sententia proferenda ab omni spe lucri debet esse alienus; et sententiæ venales judicium sunt ipso jure nullæ. *L. Venales C. Quando provocare non est necesse,* et can. *Ei qui appellat. c. 2. q. 6.*

7. Hinc interdicitur judici receptio munerum sub pœna majori vel minori pro gravitate culpæ, et restitutione muneris *L. 3. et seqq. ff. ad Leg. Julian. repetendam.* Verum non veniunt sub

nomine munerum esculenta et poculenta moderata, quæ nempe brevi idest paucis diebus absumuntur, quæque a doctoribus comparantur xeniis, idest parvis donis quæ hospitibus dari solent. Hæc ergo accipere judici non interdicitur *c. 11. de Rescr. in 6. § insuper et L. 16. ff. de Off. Præsid.* dummodo ipse ea non exquirat, nec ab eis sinat animum suum flecti in prolatione sententiæ. Et ratio est; quia hæ minutæ oblationes non præsumuntur animum viri prudentis et constantis pervertere. Quare proprie prohibetur judex ea munera recipere, quæ verum lucrum important, et animum ejus inclinare valent erga personam donantem.

8. Quid vero de sportulis? Sportulæ erant quædam taxæ moderatæ, quas a partibus litigantibus exigebat judex initio et in fine judicii pro labore quem judex ipse in judicando sustinebat. Jure civili permissæ sunt *Nov. 82. c. 9.* Quoad autem jus canonicum in Decretalibus relatum videntur sportulæ prorsus prohiberi *c. 10. de Vita et honest. Clericor.* Et quidem sportularum receptio judicibus ordinariis interdicitur, quia, cum sint Clerici, ab Ecclesia habent, unde vivant et sufficienter sustententur. Delegatus etiam regulariter est Clericus, beneficium ecclesiasticum possidens; hinc pro delegato judice eadem militat ratio quæ ordinarium respicit. Cæterum si adessore indigeat judex delegatus propter negotii gravitatem, eidem adessori stipendium præstabunt partes collitigantes *c. 11. de Rescrip. in 6. § adessorem.* Ex dictis patet, rationem prohibitionis taxarum judicialium non procedere ex intrinseca aliqua malitia earundem, sed solummodo, uti vidimus, ex conditione judicum ecclesiasticorum, qui ex redditibus Ecclesiæ vivunt. Quare cum sportulæ per se non sint minus honestæ, possunt in tribunalibus laicalibus permitti, quoties sint utiles vel necessariæ. Et revera in tribunalibus civilibus temporalis ditionis S. Sedis sportulæ aliquando in usu fuere.

9. 2^a. Obligatio judicis est, ut non ex arbitrio et propria sententia judicium ferat, sed juxta leges publicas, quamvis ipse arbitretur legis alicujus regulam minus esse rectam præ contraria. Ipse enim non est legislator, sed magistratus, qui auctoritative legem facto applicat. Ad rem facit can. *Indicet c. 3. q. 7.* ubi legitur 'Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticæ proposito voluntatis; sed juxta leges et jura pronunciat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, obsequitur legibus, non adversatur, examinat causæ merita, non mutat'. Hoc dicimus de

lege clara; nam si verba legis multiplicem habere possent significationem, vel alia adesset lex contraria in corpore juris, iudicis arbitrio remissum est, unam vel aliam amplecti sententiam *c. 1. de Constit. et L. 8. C. de judiciis*. Verum præ oculis habere debet iudex praxim, idest consuetudinem forensem in similibus casibus. Porro consuetudo hæc quando constans fuit et uniformis circa sensum legi tribuendum, constituit regulam, quæ dici solet jus traditionale.

10. 3^o. In conflictu rationum et argumentorum probabiliora seu prævalentiora sequi tenetur. En contraria prop. damnata ab Innoc. XI. die 2. Martii an. 1629. 'Probabiliter existimo, iudicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem'.

11. 4^o. In causis criminalibus reo favendum est, quoties ejus culpabilitas et reatus ex indubiis argumentis non constet; ad reum enim condemmandum ex lege generali, et præsertim quando agitur de gravioribus pœnis applicandis, necessariae sunt probationes luce meridiana, ut ajunt, clariores *L. fin. Cod. De probationibus*.

12. Et quoniam de valore probationum sermo est, quæstionem discutere aggredimur de obligatione iudicis causam definiendi juxta allegata et probata in conflictu cum scientia sua privata. Quærimus igitur: quid sentiendum, si aliud iudici resultet ex actis et probatis, aliud vero ex ejus privata scientia? In genere iudex ut persona publica ex scientia publica procedere debet, nec potest suo privato arbitrio, licet per se rationali, indulgere; *can. Indicet c. 3. q. 7. et c. 1. de re jud. in 6.* Quod etiam ostenditur ex necessitate habendi in societate normas fixas et communes iudiciorum tractandorum; privatae autem scientiæ regula induceret varietatem maximam et difformitatem in judiciis. Quid vero si non ex conjecturis, aut vaga opinione, sed ex certa scientia contrarium videat iudex quam demonstrant allegata et probata in iudicio. Profecto si ageretur de re absolvendo, quem iudex sciret ex privata notitia revera reum esse, sed probationes deficerent, immo ex actis judicialibus innocens appareret, dubium non esse videtur, iudicem teneri ad eum absolvendum. Ratio enim generalis superius adducta satis id evincit; et servandum est principium juris expressum in *cap. 3. in fin. Caus. possess. et propr. et L. Qui accusare C. de edendo*. Videlicet 'actore non probante reus absolvitur'. Hæc dispositio tum in civilibus obtinet, tum in criminalibus causis.

13. Difficilis vero solutio redditur si de opposita specie agatur. Si ex actis publicis videlicet resultet invicte aliquem esse

reum, quem certissima scientia privata iudicis exhibet innocentem et propitia sententia dignum; quid agendum iudici? Conveniunt auctores, hoc in casu iudicem experiri debere omnia honesta remedia quæ præsto esse possunt ad reum liberandum, sive de civili negotio quæstio verteretur, sive præsertim de criminali causa. Remedia hujusmodi plura adsignantur: 1^o. Ut protracto iudicio, ad trutinam exactius vocet probationes, sive testes iterum examinando accuratius etiam singillatim quoad omnes possibiles circumstantias, sive instrumenta et tabulas perscrutando intimius; utrum vel veritas aliquo modo positive clarescat, vel ope alicujus exceptionis elidatur actio vel accusatio contra reum intentata. 2^o. Ut si fieri possit, se incompetentem declaret, vel causam ad superius tribunal remittat, et ipse penes alium iudicem testis partes sustinens, rei innocentiam et causæ justitiam prodat. 3^o. Quod si ageretur de criminali causa, non desunt auctores qui docent, posse iudicem reo procurare fugam ex carceribus, dummodo id consequi posset sine scandalo et sine damno tertiæ personæ. Ita *Lessius De Just. et Jur. Lib. 2. c. 29. dubit. X. n. 77.* Quæ certe remedia si rite adhibeantur, casum reddunt moraliter impossibilem in concreto ut iudex in tuto et in aperto non possit collocare innocentiam rei, quam privata scientia cognoscit, aut saltem se abstinere a ferenda sententia contra propriam conscientiam.

14. Sed quid si per absonam hypothesim, hisce remediis etiam adhibitis, innocentia adhuc delitescat, et iudex non possit declinare sententiam? Triplex est DD. opinio. Prima est illorum qui docent iudicem contra scientiam suam et privatam opinionem in casu teneri ad sententiam ferendam. Quia iudex auctoritate publica munitus, scientiam privatam oblivisci debet, ceu ad rem non pertinentem, et aliud videtur agere ut iudex, aliud ut homo. *Can. Si Ecclesia § fin. c. 13. q. 4. de Off. Ord.* Jus civile huic scientiæ ad stipulatur plenissime in *L. illicitus § Veritas ff. de Off. Præsid.* cujus paragraphi summarium est 'Iudex debet judicare secundum allegata et probata, non autem secundum conscientiam'. Si vero objiciatur, inconveniens esse, imo injustum ut innocens succumbat et poena plectatur; respondent, non semel in humanis judiciis ob defectum et imbecillitatem naturalem legum publicarum, et ob conditionem fori externi, casum verificari quo judicialis sententia rerum veritati contradicat, et tamen leges et fori dispositiones servandæ sunt ob bonum publicum, cui debet subesse bonum privatorum civium. Hanc

sententiam secutus est *s. Thomas 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3^m.* item *Covarracius Lib. 1. Varia c. 1. n. 6.* et plerique Theologi.

15. Secunda sententia docet, judicem non posse contra conscientiam judicare ex præcepto Apostoli Rom. 14. Despicere ergo debet iudex allegata externi fori, cum certe veritatem ipse cognoscat. Non enim iudex est authoma ut mechanicè patiat se a pondere falsitatis adumbratæ opprimi; sed homo est qui veritati, quacumque ex parte ea proveniat, inservire et famulari tenetur. Hinc in *c. 1. de sent. et re jud. in 6.* graviter puniendus dicitur iudex qui sententiam profert 'contra conscientiam et contra justitiam in gravamen partis alterius'.

16. Tertia sententia cum Lessio in cit. dubitat. X. distinguit inter causas civiles criminalesque minores et criminales majores, quæ nempe secumferrent pœnam mutilationis vel mortis, statuitque quoad priores iudicem procedere debere juxta allegata et probata contra privatam scientiam, non posse autem absolute procedere in causis criminalibus majoribus. Ratio utriusque membri est. Utique bonum publicum exigit ut privati cives, ejus intuitu, damnum patiantur in bonis fortunæ, aut aliquale damnum etiam in propria persona; at cum agatur de ipsa vita, publicum bonum non exigit ejus sacrificium, nisi in quibusdam causis, inter quas certe non est adnumeratus casus noster. Nam nulla lex præcipit, iudicem teneri ad plectendum mortis vel mutilationis pœna civem innocentem, ut serventur normæ judiciorum; præsertim cum rigor judiciorum in genere servari posset, quamvis ob rationem gravissimam exceptio daretur ab earundem normarum observantia. Immo Lessius cit. loco n. 18. probat intrinsece malum esse, iudicem pœna capitis mulctare reum, quem ex privata scientia innocentem esse cognoscit; quia 'iudex nullam auctoritatem habet in vitam innocentis, cum hæc soli Deo sit subjecta'. Concludunt vero hujus sententiæ doctores iudicem in tali conflictu scientiæ publicæ et privatæ teneri potius ad officium judicis dimittendum, quam posse contra innocentem sententiam capitis dicere. Prima sententia abstractis principiis juris præ cæteris sententiis cohæret; sed in praxi, dummodo casus, quem moraliter impossibilem diximus, verificetur, tertia æquitati magis consona apparet, ac proinde tenenda esse videtur. *Cfr. Lessius l. c. et Reiffenstuel h. t. § 2.*

17. 5^o. Occasione *c. 1. h. t.* pertractanda breviter est quæstio: An ad officium judicis spectet utriusque vel alterutri ex litigantibus

advocatum adsignare, ne in iudicio indefensus evadat? Affirmativam sententiam nobis offert *c. 1. h. t.* in quo Honorius III. refert, invocatum fuisse officium judicis ut defensorem Abbati et monasterio Fossæ Novæ concederet. Ad quæ verba adnotat Glossa, ad officium judicis pertinere ut partibus quæ defensore carent adsignet advocatum. Consonat jus civile in *L. 1. ff. §. ait Prætor De postulando*. Et optime, nam judicis interest litigantium jura et probationes in lucem deduci, ut iudicium veritati cohæreat. Porro juxta cit. glos. et doctores advocatus potest salarium exigere a cliente. Si vero cliens adeo paupertate laborat ut impar sit salarii solvendi, advocatus gratuitam operam præstare tenetur, nisi forsitan ex ipsius tribunalis sumptibus stipendium recipiat. Qua in re juvat adnotare ex principio charitatis christianæ institutas fuisse pias congregationes Advocatorum et Procuratorum, qui gratis miserabilium personarum jura tuentur. Romæ eminet pia Congregatio a s. Ivone nuncupata, cujus præfecturam, licet merito impares, gerimus. Hujus Congregationis Confratres pauperum defensionem *pro amore Dei* suscipiunt, et ordinarie zelo mirabili ad exitum perducunt, non neglecta, si fieri possit, inter contententes honesta transactione.

18. Sed quæritur: Poteritne familiarem suum iudex advocatum statuere in causa? Et huic interrogationi affirmativam præbet responsionem Honorius III. in *cit. c. 1. h. t.* intimans Archiepiscopo Salernitano et Abbati s. Leonardi in Apulia, iudicibus delegatis, ut ultra in iudicio procederent, non obstante exceptione procuratoris monasterii Cavensis adversarii, qua reclamabat contra factum Archiepiscopi iudicis, qui familiarem suum advocatum dederat Abbati et Monasterio Fossæ Novæ. Dispositio hujusmodi sapientissima est; nam revera familiaris iudicis per se non potest allegari tanquam suspectus. Officium enim advocati non est ut causam faciat suam, quemadmodum de procuratore post litis contestationem dicendum est; sed eo dirigitur officium advocati ut exhibeat et declaret rationes et argumenta juris et facti, quæ clienti suo favent; sed nec emolumentum nec damnum persentit ab exitu iudicii.

19. 6^o. Quid vero si ab advocatis partium colligantium aliquid fuerit omissum vel ex ignorantia vel ex malitia, eritne officium judicis supplere defectum? Et quidem si omissa fuerint ea quæ ad jus pertinent, ex. gr. si fuerit servatum silentium de ali-

qua lege quæ dirimendæ quæstioni inserviat, nullum dubium est judicem teneri ad supplendum defectum. Nam officium judicis est, verum et proprium jus facto applicare. Quod si omisa fuit aliqua circumstantia facti, quæ influere potest in qualitatem sententiæ; Abbas in *c. 16. de Test.* quem Glossa in *c. 3. de postul. prælat.* et auctores communiter sequuntur, docet, judicem posse et debere supplere, si quid fuerit deductum in iudicium et a partibus ignoretur, quia illud est sibi notum et notorium ut iudici. Ergo si omisa fuerit circumstantia facti, cujus existentia ab actis judicialibus deprehenditur, tenetur iudex ea uti in causæ decisione; eam enim cognoscit tanquam iudex, cujus officium est investigare et expendere acta judicialia. Si autem de circumstantia facti agatur ab actis iudicii prorsus aliena, iudex non tenetur in genere eam investigare, et supplere defectum patrocinii. Ipse enim procedit juxta allegata et probata in actis proprii tribunalis. Dixi autem in genere; nam si agatur de circumstantia aliqua *notoria*; cum notorium in iudiciis non probetur, sed solummodo allegetur, eo quia omnibus constare censetur; hinc iudex potest, et aliquando etiam tenetur, ea circumstantia uti, licet a partibus omisa fuerit *arg. l. 1. C. Qui et adversus quos in integr.* Idem dicendum, si periculum animæ occurrat, quemadmodum non semel in causis ecclesiasticis et præsertim in matrimonialibus verificatur. Sic ex officio iudex debet repellere excommunicatum vitandum. *C. 12. de Exception.* Quod si vero ex certa sed privata scientia iudex aliquam circumstantiam facti substantialem cognoscat, subintrat theoria superius proposita de conflictu inter privatam et juridicam scientiam iudicis. — Præterea iudex supplet ex officio partium negligentiam in favorem publicæ utilitatis, et in specie quando agitur de bono ecclesiarum. Supplere etiam potest eandem negligentiam, excludendo ex officio testes indignos. Consulere enim debet honori publici iudicii.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate et Obedientia.

Titulis de variis generibus Ministrorum seu de variis gradibus Clericorum merito subnectitur titulus qui relationem explicat inter majores et minores ordines eorundem Clericorum.

De Majoritate.

1. Majoritas exprimit excellentiam illam seu quamcumque præminentiam, quam unus habet præ alio cui supereminet, ex qua præeminentia enascitur relatio obedientiæ ex parte illius qui minor est.

2. Quæstio prima proponitur de modis quibus majoritas acquiritur. Varii sunt tituli. Primus titulus est ordo. Nam ipsa idea ordinis secumfert relationem majoris ad minorem, scilicet hierarchiam. Hinc Clericus in majori ordine constitutus præstat Clerico in ordine qui priori sit minor *c. 15. h. t.* Profecto hæc hierarchia majoritatem secumfert, non vero proprie dictam superioritatem, quæ ex jurisdictione enascitur. Nam fieri potest ut qui minor est in ordine, imperet Clerico majori ordine insignito. Exemplum nobis profert Archidiaconus jure decretalium, qui Clericis omnibus Dioceseos præerat.

2^o. Ex jurisdictione etiam idest ex potestate titulus exurgit majoritatis. Qui enim majorem exercet jurisdictionem licet directe exigat subjectionem, ordinarie tamen jus habet etiam ad reverentiam, et ad priorem locum inter eos qui minori potiuntur jurisdictione. Sic Archiepiscopus est major Episcopo, et Archidiaconus Archipresbytero *c. 7. de Off. Archidiacon.*

3^{us}. Titulus est consecratio, ob quam Episcopus consecratus præstat Episcopo nondum consecrato *c. 4. de Consuet.*

4^o. Etiam tempus ordinationis aut immissionis in possessionem potest esse titulus majoritatis juxta illud principium 'Prior in tempore, potior in jure' *Reg. 54. jur. in 6.* Et infertur ex *c. 1. h. t.* Hæc majoritas seu præcedentia est in suffragio, in sede, in signando etc. nec non in optione præbendæ, ubi jus optionis conceditur. Hæc vero majoritas orta ex tempore intelligenda est ut verificetur cæteris paribus. Hinc non datur in diversitate ordinis aut dignitatis. Quare antiquior Episcopus non præcedet Archiepiscopo.

5^{us}. Titulus est excellentia et prærogativa Ordinantis. Quare ordinatus a Pontifice ob honorem Sedis Apostolicæ aliis præstat qui sunt in eodem ordine constituti *c. 7. h. t. et c. 31. de Præbend. in 6.* Adnotandum vero est, aliquem non eximi a jurisdictione proprii Episcopi ex eo quod ordinatus fuerit a Summo Pontifice. Sola enim ordinatio non habet vim excommunicationis.